regis Ierusalem duxit uxorem per verba de presenti,
et anno sequenti celebrantur nuptie inter eos. Scribitur
autem quod Federicus, licet bona habuerit initia,
mortua matre ab iniquis perversus cepisse in regno
gravare ecclesias et in servitutem redigere, et Honorii
admonitioni non acquiescens, excommunicatus nun(c)cu-
savit ~~usque ad~~ a MCCXXI usque ad finem vite sue,
ideo Honorius omnes barones regni Apulie et im-
perii a iuramento fidelitatis absolvit.

MCCXXII°. Tartari transeuntes montes Ripheos, qui
dividunt Asiam Maiorem ab Europa, marchias
Ungarorum perforant, quas ipsi silvas vocant,
et per Ungariam nulli parcunt sexui vel etati.

MCCXXIII. Phylippus rex Francie, qui probitate
mira regno suo multos adiecerat comitatus,
scilicet Viromandensem, Bellomontensem, Ponti-
viensem, Alantionensem, Cenomanensem, Turo-
nensem, Andegavensem, Pictaviensem, obiit, mi-
rum condens testamentum. Iohanni enim regi
Ierosolimorum reliquit C.M libr. Parisien.,
totidem Hospitalariis, totidem Templariis et
alia magna valde. || Eodem anno Ludovicus frater
eius ei successit in regno. In hoc enim rediit regnum
ad stirpem a Karoli imperatoris, de qua originem
habuit b ex parte ~~p~~ matris. XXXVII | a annum quasi
compleverat, quando fuit coronatus, cum Federico
pacis ac federis colloquium habuit. Iohannes rex
Ierosolimorum limina beati Iacobi gratia pe-
regrinus visitat et filiam regis Galatie duxit
uxorem.

a stirpe c. XXXVII a

b habuit c. 9.9.c.